DE

# DIABETE.

## DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
*DIE XVIII. MENS. APRILIS A. MDCCCXXXV.*
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

**FRIDERICUS GUILELMUS AUCH**
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

H. A. NORDSIECK, MED. ET CHIR. DR.
C. T. F. WEILANDT, MED. ET CHIR. DR.
H. L. HOENING, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO ET DILECTISSIMO

# F. A. AUCH

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

## DEFINITIO MORBI.

Diabetae nomen a graeco verbo διαβαίνειν, i. e. percursio celeris rei alicujus, derivandum est. Synonyma sunt: hydrops ad matulam, diarrhoea urinosa, profluvium urinae, phthisuria. Hujus morbi praecipuum est, ut major copia urinae, quam antea aqua aliusve potus haustus est, emittatur, eaque sapore mellito, similique odore praedita; quibus totius corporis consumptio accedit, quae cum his similibusque praeter naturam secretionibus fere conjuncta esse solet. Saepe quidem in hystericis casibus, post febres intermittentes, vel in aliis morbis magna urinae copia secedit, quamdiu vero singularis iste odor saporque nondum adest, nec macies appropinquat, de diabete nondum sermo esse potest.

## HISTORICA QUAEDAM.

Jam priscis medicis notus erat diabetes, quod libris eorum diligenter evolutis facile opera intelligitur. Utrum

*Hippocrates* hunc morbum noverit, an minus, in dubio haeret; sunt tamen loci, unde similia vitia lotii secretionis eum novisse suspiceris, quamvis de nomine hujus morbi nullum sit apud eum vestigium. Inquit enim (1): »renum et quaecunque vesicae vitia in senibus difficulter curantur.« *Celsum* vero de hoc morbo sub alio licet nomine scripsisse, id nullo pacto in dubium vocari potest. »At, inquit (2), cum urina super potionum modum etiam sine dolore profluens, maciem et periculum facit.« *Galenus* (3) autem, quamvis vel maxime in praxi versatus, se bis tantum vidisse fatetur diabeten. *Aretaeus* (4) denique hunc morbum optime describit, proprio usus nomine: »mirus quidam affectus est diabetes, neque inter homines admodum frequens. Est autem carnis membrorumque in urinam colliquatio. Hic morbus, pergit, longo tempore naturaliter inhaeret, longoque procreatur. Sed ubi jam consummata sit ejus constitutio, homo non diu superest, nam cita colliquatio ac festina mors. Vita autem foeda, sitis intolerabilis, potiones multae, quarum tamen modum excedit urina multo abundantior». Hucusque medicorum nemo, quotquot hunc morbum viderant, principium saccharinum in urina detexerat. Primus igitur, qui ejus rei meminit, *Willisius* (5) est, qui vixit sae-

(1) Aphorism. VI. section. VI.
(2) de medicina. Libr. IV, cap. XX, §. 2.
(3) de locis affectis. Libr. VI, Cap. III. Ed. Basil.
(4) de causis et signis morbor. Libr. II, cap. 11, pag. 193.
(5) Pharmaceut. rat. Sect. IV, c. 2, p. 207.

culo decimo septimo. Idem primus hoc proprium symptoma esse pronuntiavit. Ex quo tempore diligentius in diabeten animum adverterunt medici, et multum ad meliorem hujus morbi cognitionem contulerunt.

## DESCRIPTIO MORBI.

Symptoma pathognomonicum diabetae veri melliti est in perpetua et aucta secretione et excretione urinae principium saccharinum in se continentis, unde alimentis nutriciis in saccharum diabeticum mutatis universalis macies totius corporis oriri solet. Fere semper hic morbus suos habet nuntios, qui sunt: concoctio impedita, acescentia, pyrosis, vomitus acidus, mucosus, respiratio brevis, tussis sicca, spastica, appetentia aucta, alvo secundum naturam aperta, interdum etiam cutis exanthemata parva, glandulae intumescentes (6). Tales praenuntii saepe per aliquot menses apparent; tunc autem constantia symptomata accedunt: fames nimia, sitis inextinguibilis et dolorosa, per totum morbum vehemens, quae adeo magna est, ut aegroti fuerint, qui quotidie quadraginta, sexagintave, vel etiam centum libras (7) aquae hauserint. Talis sitis homines et excitare potest somno et, si ei non satisfacitur, vel lypothymias efficere. Quo morbo qui laborant, demisso animo esse solent et

---

(6) J. C. Reil, üb. d. Erkenntn. u. Cur d. Fieb. B. III.

(7) J. G. Knebel, Materialien zur theoret. u. pract. Heilkunde. B. I.

hypochondriaci; vultus(8) vero faceti aliquid et distorti, quod vix describas, prae se fert; amore fruendi nulla potestas.

Morbo manifesto illa apparet, de qua supra diximus, urinae secretio et quantitate et qualitate mutata. Excernuntur intra viginti quatuor horas librae triginta, quadraginta vel centum, interdum etiam plures, ita ut aegrotus plerumque ne tantum quidem aquae hauriat; quae urina modo clara, pallida, limpida, modo turbida, sero similis, sapore inter subacidum et subdulce, et analysis chemica in ea principium saccharinum praevalere, salia phosphorica, azoticum et ammoniacum fere deesse demonstrat. Sacchari autem tanta est copia, ut triginta sex unciae evaporatae duas tresve uncias reliquerint (9). Saepissime urina secedit inter meridiem et mediam noctem sine molestia, nisi quod nonnulli aegri in regione lumbali et vesicali frigus sentiunt, in stomacho vero et intestinis ardorem, qui usque ad crura prorepit, nonnunquam ischuria et incontinentia urinae accedentibus.

Quum tanta sit appetentia ciborumque sumptorum tanta copia, corpus tamen macescit, quamvis digestio, nisi quod paullulum in acidum inclinat, optima sit. Transpiratio oppressa est, cutis aspera, sicca, saepe exanthematibus obducta; lingua alba, rubris marginibus, deinde nigricans, gingiva est tumida, dentes vacillantes, saepe foetor ex ore,

---

(8) G. F. Most, Encyclop. d. ges. med. u. chirurg. Praxis. Lpz. 1833. pag. 291.

(9) Hünefeld, physiol. Chemie. 1827. Th. II. pag. 163.

blennorrhoea pulmonum et glandis, inflammatio praeputii, pulsus parvus, rarus aut frequens, et qui facile comprimatur, saliva interdum dulcis. Sanguis per venas emissus non ad putredinem, sed ad acidam fermentationem inclinans, multum seri, parum materiae fibrosae, nullum phosphorum aut ammoniacum (10) in se continet; serum est saepe turbidum et lacti simile (11) saporque subdulcis (12). Morbus, qualem descripsimus, per annos aliquot continuatur, donec magna virium prostratio, torpor, delirium, sopor, paralyses, colliquativae diarrhoeae, hydrops et febris hectica mortem adducant. Decursu temporis non raro remittitur et intermittitur, et interdum cum diabete insipido se commutat.

## DIAGNOSIS.

Diabetes facile dignoscitur, ubi abnormitates, quas diximus, quantitativae et qualitativae secretionis et excretionis urinae inveniuntur. Sunt quidem morbi, qui aliquam similitudinem prae se ferunt, ut:

I. Enuresis. Sed in hac quantitas et qualitas urinae excretae normalis est, quamvis solito saepius fiat excretio; principium saccharinum deest, ut fames et sitis, ut macies et magna debilitas. Hic contra voluntatem mejere

---

(10) Nicolas et Gueudeville, Annal. de Chymie. T. XLV.

(11) Darvin, Samml. auserl. Abhandl. z. Gebr. f. pr. Aerzte. B. VI.

(12) Dobson, London medical. observations. Vol. V. p. 303 sq.

cogitur, diabeticus ille retinere urinam potest aliquantulum.

II. Lienteria urinalis, in qua quae hausta sunt, immutata emitti dicuntur. Fuere tamen, qui, quae veteres (13) de ea tradiderunt, in dubium vocarint (14). Ut igitur fuerit, aut sit, ea tamen re a diabete diversa est, quod, quae hausta sunt, iis, quae excernuntur, proportione haud repugnant, et saccharum in urina omnino deest.

III. Chyluria seu coeliaca urinalis. In quo morbo chylus immutatus statim post digestionem mingi fertur; attamen recentiores nihil observaverunt. Quem *Petrus Frank* vidit diabeten lacteum, eum pro vero diabete habuit. Verisimillimum videtur, hanc chyluriam inter phthisin renalem aut blennorrhoeam ureterum et vesicae referendam esse.

IV. Dipsacus. Semper est aliorum morborum symptoma, praesertim synochae, interiorum abdominis inflammationum, hydropis. Jam eo, quod hi morbi adsunt, satis discernitur a diabete, praeterea urina principii saccharini nihil in se continet, neque aegrotus plus mejit, quam bibit.

---

(13) Galenus l. c. pag. 76. 77.
Fabr. Hildani observation. medico-chir. Centur. V. obs. 58.
Thom. Bartholini hist. anatomic. rarior. Cent. V. hist. 30. Hafn. 1654.

(14) P. Frank, Epitome de curand. h. m. Libr. V.
Reil l. c.

## MORTUORUM SECTIO.

Substantia renalis inventa est flaccida et cinereo colore (15), sanguine plena, ulcerata, acido odore (16), pelvis renum extensa, pure repleta (17); ureteres dilatati (17); membranae vesicae condensatae, induratae; calculi et abscessus renum; saepe indurationes lienis, hepatis, glandulae (19) mesentericae supra naturam magnae, vasa meseraica ingenti magnitudine; laxitas musculorum et telae cellulosae, inventa est resorptio marginis alveolaris (20); ossium malacia, sanguis fuscus, dulci odore; majores venae chylo modice repletae (21) et cadaver moschi similem odorem spargens. Inventum (22) etiam est a dura matre, quae, uti debet, cum cranio conjuncta erat, recessisse cerebrum hic illic vel digiti spatio, eratque induratum, quod interdum apud eos, qui typho mortui sunt, animadvertitur et nervi indurati erant. *Aug. de Stosch* (23) reperit hydropem arachnoideae, substan-

(15) Apud Bonet. sepulcret. Lib. III. sect. 26. obs. 1. p. 675.
(16) Home klinische Versuche,
(17) Ruysch Obs. anatom. cent. 1. obs. 13. p. 18.
(18) Fr. Hoffmann Consultat. et respons. med. cent. III. sect. 3. cas. 86.
(19) Darvin l. c. Bd. VI. p. 288.
(20) Home l. c.
(21) Michaelis, Hufelands Journal. B. XIV. St. 3.
(22) Horn Archiv f. med. Erfahr. Bd. XXII.
(23) Versuch. ein. Pathol. u. Therap. d. diab. mellit. Berol. 1828. pag. 103.

tiamque cineream magnam partem resorptam, ut gyri candidi et macerati, complicati similes membranae jacerent. *Nasse* (24) nihil deprehendit, quod praeter naturam esset, in nervo sympathico; *Duncan* (25) vero in utroque latere nervum sympathicum inde ab eo loco, ubi diaphragma et cavum abdominis intrat, usque ad pelvem ter quaterve magnitudine auctum reperit; ejusdem magnitudinis fuit nervus splanchnicus in utroque latere duos pollices a cavo thoracis usque eo, ubi diaphragma perforat. *Baillie* (26) observavit tubi intestinalis contenta viridi colore, acidoque odore fuisse, et *Fr. Hoffmann* (27) ingentem multitudinem faecis in intestino crasso.

## DIVISIO DIABETAE.

Pro charactere morbi *Knebel* et post eum *Reil* non solum diabeten ex asthenia, sed etiam ex synocha ortum esse putaverunt. Quam sententiam *Reil* postea mutavisse videtur, quum diabeten solum ex potentiis debilitantibus existere scribat. Omnis autem diabetes cum debilitate aliqua conjunctus est, unde apparet Anglorum recens adhibitas medelas detractione et ciborum et sanguinis utentium maximo reprehendendas esse. *Creuzwieser* (28) et

---

(24) Horn, Archiv. Bd. XXIV. St. 3.
(25) Leichenöffnungen, in Samml. auserl. Abh. Bd. XXVIII.
(26) Samml. auserl. Abhandlung. Bd. XX.
(27) medicina rat. Suppl. de morbis infantum.
(28) Diss. de cogn. et cur. diabete. Halae 1794. p. 18.

*Sprengel* (29) hunc morbum pro asthenico habuere et distribuere in diabeten spasticum, in quo urinae abnormis tam secretio quam excretio erethismo aliquo oriatur, et in diabeten torpidum, qui vasis renum relaxatis ex paralysi aliqua originem trahat. Sed non crediderim has diabetae species unquam inveniri divisas; nam unusquisque diabetes morbo incipiente cum erethismo nervorum conjunctus est, deinde decursu temporis universalis virium prostratio, febris hectica et colliquatio accedit.

Alia diabetae divisio est in verum et spurium. I. In illo discernitur mellitus atque insipidus. In utroque invenitur urinae secretio mirum in modum aucta, neque quae conveniat potui; in altero tamen urina saccharum in se continet, in altero secus, cui tamen materiae ureae minus inesse, quam in mellito, *Augustus de Stosch* (30) invenit. Nam a prioribus medicis et *P. Frank* observatum est, urinam interdum nec fuisse sapore dulci, neque in evaporatione residuum saccharinum reliquisse. Qui casus num revera diversi fuerint, an abnormitates diabetae melliti, de ea re adhuc sub judice lis est. *Cullen* (31) talem morbum non diabeten esse censet; *P. Frank* (32) vero alimentum nutricium, quod excernitur in diabete insipido, magis animalisatum quam in mellito

---

(29) Handbuch d. Pathologie. Th. 3. p. 166.
(30) l. c. pag. 39.
(31) Kurzer Inbegriff der Nosologie. Lpz. 1786. p. 327.
(32) l. c. p. 57.

putat. *Dobson* (33) revera discrimen interesse negat, arbitratus, mellitum in insipidum transire posse, insipidum autem esse inferiorem morbi gradum, reproductione ita labefacta, ut principium saccharinum effici nequeat; cui sententiae *Henke* (34) prorsus accedit. *Haase* (35) insipidum habet pro diabete, sed in quo alterum tantum momentum morbi, dynamicum, aucta renum secretio, non alterum, quod est chemicum, adsit. *Aug. de Stosch* (36) opinatur, diabeten insipidum revera eundem esse ac mellitum, eo tantum discrimine, quod in illo nervi sympathici maximi pars, quae chylopoiesi inservit, omnino integra remaneat. Itaque in diabete insipido bene cederet digestio et chylificatio, morbusque, ut etiam experientia probare videtur, multo diutius sine vera tabificatione ferri posset, nisi morbus affectione nervorum in plexus adhuc immunes nervosos abdominis propagata in verum transiret diabeten mellitum. II. Diabetes spurius ea dicitur lotii secretio magna, quae copiam sumptarum potionum non superat, non saccharum continet, et aegrum non tabefacit. Huc pertinent magnae illae excretiones, de quibus supra diximus, in crisi febrium, inflammationum, in hydrope et paroxysmo hysterico.

---

(33) l. c.

(34) Henke, Handb. d. spec. Pathol. Bd. II. p. 287. §. 1075.

(35) Ueb. d. Erkenntn. u. Cur d. chron. Krankh. Lpz. 1818. Bd. III. p. 342.

(36) l. c. p. 40.

Aliae, quae factae sunt, divisiones minus graves sunt, ut divisio illa; *a)* in continentem et remittentem; remittens autem dicitur modica interdiu urinae secretio, praesertim vero periodis intercurrentibus, in quibus morbus sanationis specie fallit; *b)* diabeten periodicum illum dixerunt, quando morbus tres tantum per mensem dies durat, aut quotidie, aut octavo vel decimo quarto quoque die, aut singulis mensibus revertens. Qui tamen casus non tam ad diabeten, quam ad paroxysmos hypochondriacos vel hystericos periodice redeuntes pertinent. *c)* Alii distribuerunt diabeten in simplicem et complicatum. Fere semper diabetes est morbus complicatus, cum physconia hepatis, lienis, mesenterii, et cum statu atrabilari, haemorrhoidali, denique cum oedemate pedum, anasarca, febri hectica conjunctus, quae omnia vel causae vel eventus morbi sunt. *d)* De innatis et criticis (37) diabetis merito dubites. *e)* Postremo *P. Frank* (38) diabeten decipientem memorat, in quo urinae parum, sed dulci odore secernatur, aegrotus autem tabescat. Qui morbus potius levior gradus diabetae melliti quam species habendus est. Num revera inveniatur, id quidem non satis exploratum est.

---

(37) Reil, l. c. p. 483.
(38) l. c. p. 45.

## AETIOLOGIA.

### Causa proxima.

Gravissima eademque minime indagata pars in doctrina de diabete sine dubio est ejus aetiologia et pathogenia. Primum ceterorum medicorum graviores sententias exponam, deinde, quia nemo eorum veram diabetae naturam perspexit, *Haasii* sententiam addam, quae omnium optime morbum explicare videtur.

Olim medici, ut *Mead* (39), proximam diabetae causam in vitiis, praesertim in obstructione hepatis et ceterorum abdominis viscerum posuerunt, unde mistionem bilis vitiosam oriri, digestionem impediri et has ob causas crudum chylum in renes afferri dicunt. Quae sententia quamvis a nuperis medicis improbata sit, tamen infra videbimus, illos etsi naturam diabetae non perspexerint, non latuisse gravissimum momentum praedisponens et agens. Alii, inter quos *R. A. Vogel* (40) ponendus est, diabeten ex morboso renum statu nasci dicunt, qui aut in excitatione abnormi statuque spastico, aut in atonia et relaxatione vasorum consistat. Sed ut taceamus, quod e causis sibi contrariis, e spasmo et atonia, morbus effici dicitur, tamen alterum tantummodo diabetae momentum, magna urinae secretio, inde explicatum erit, alterum

(39) Opera omnia Tract. de Viper. p. 39.
(40) Praelect. acad. de cogn. et cur. c. h. affectib. §. 367.

idque gravius, formatio sacchari, suam lucem non accipiet.

*Cullen* (41), quem *Dobson* sequitur, collocat naturam diabetae in vitioso statu assimilantium earumque corporis virium, quibus alimenta in singulares illos animales humores commutentur. Sed haec non multum probant; nam omnia diabetae momenta, urinae nimia secretio, quae sumpta alimenta pondere superat, denique sacchari formatio, ut antea sic etiam nunc obscura sunt. *Darvin* (42) diabeten ex retrogrado vasorum lymphaticorum motu versus renes, vel etiam ex eo, quod potus hausti immediate neque antea sanguini immisti per singularia vasa ex stomacho in renes ducantur, oriri arbitratur. Sed ille motus retrogradus uti singularia inter stomachum et renes vasa mera sunt hypothesis.

Nonnulli, uti *Kausch* (43), diabeten ex abnormi actione cutis et vasorum absorbentium deduxerunt, ut majori absorptioni minor transpiratio non respondeat; quae sententia probanda est, si de magna urinae secretione in aegroto diabetico sermo est. Addi debet pulmonum absorptionem non esse negligendam. Neque tamen inde processus dynamicus, et etiam minus chemicus explica-

---

(41) Anfangsgr. d. pract. Arzneik. Bd. III. p. p. 576.
(42) l. c. p. 273.
(43) Med.-chir. Erfahr. in Brief. an versch. Gelehrt. Lpz. 1798.

tur. *Creuzwieser* (44) naturam morbi his duabis speciebus satis explicasse sibi videtur: diabeten spasticum nasci ex praeternaturali renum incitabilitate; ipsum autem diabeten quasi phthisin renum lymphaticam phthisi pulmonum pituitosae simillimum. Omnia, quae vehementer renes incitent, nutritioni officere, quum omnia, quae alant, ad renes alliciantur. Inde saporem mellitum explicari urinae alentibus partibus gravidae, inde apertam esse febrem hecticam et maciem aegroti. Porro accedere, de qua non dubitandum sit, serositatem sanguinis, cujus causa sit in irritatione organi cujusdam aut in nutritione deficiente; inde intumescentias glandularum glandularum mesentericarum, hepatis, pancreatis etc., quae omnia in diabeticis invenias, suam lucem habere. Diabeten quidem torpidum existere ex relaxatione vasorum renalium, unde jam per se succi in partes debilitatas confluant; sed irritatione accedente succos in organa relaxata opus esse majore copia confluere. Exemplum hujus rei esse in blennorhoea glandularum Meibomianarum atque hydrope; in his enim morbis aperte succos in partes relaxatas confluere. Nimiam istam lotii secretionem causam habere in consumptione partium solidarum et in cutis adaucta resorptione. Sed ut taceamus, diabeten male esse comparatum cum phthisi pituitosa, psorophthalmia et hydrope, jam in eo apertum vitium est, quod torpi-

(44) Diss. de cogn. et cur. diabete. Halae 1794.

dum et spasticum sibi omnino contrarios dicat et tamen effici putet utrumque ex eadem causa, ex abnormi renum irritatione. Ubi autem exposuit, quomodo fiat, ut renes succos nutricios alliciant? ut saccharum inde nascatur? denique ut obstructiones abdominis efficiantur ex serositate sanguinis?

*P. Frank* (45) suam habet sententiam, analogiam hydrophobiae et diabetae probare tentat; unde in hoc quoque morbo singulare aliquod venenum, quod resorbentia totius corporis vasa ad nimiam actionem incitet, existere dicit. Hinc oriri famem et sitim et magnam in cavo oris et cute siccitatem et urinae principium saccharinum resorptione chyli nimis celeri. Sed existere in corpore tale venenum neque probari potest, neque si probari posset, proxima causa foret, sed remota. Semper etiam accedere debet vitiosa renum secretio; principium vero saccharinum etiam a *P. Frank* non explicatum est.

Sine dubio vero proprior est, quam *Rollo* (46) proposuit, explicatio. Proximam diabetae causam esse actionem stomachi nimium in modum auctam cum majore, quam par sit, secretione succi gastrici, unde materia sacchari similis e cibis vegetabilibus oriatur, quae tamdiu immutata maneat, donec a renibus secernatur; uri-

(45) l. c. 54—59.

(46) Abth. d. diabet. mellitus, herausg. v. Joh. Anton Heidmann, Wien 1801. p. 454, sq.

nae vero auctam secretionem ex nimia stomachi actione oriri, quae per consensum etiam in renes penetret. Neque pulmonum neque cutis absorptioni partes aliquas tribuit, quum urinae copiam nunquam non potuum haustorum quantitati respondere sibi persuasum habeat. At natura morbi minime exposita est. Unde enim acida materia in organis digestionis, unde urinae tanta copia?

*Henke* (47) diabeten pro universali morbo totius systematis reproductivi habendum esse dicit, inde varios morbi status effici, imperfectam assimilationem, secretionem principii saccharini, colliquationem firmarum partium; sed his omnibus symptomata non natura morbi exponuntur. *Aug. de Stosch* (48) proximam morbi causam in paralysi resorptionis venosae sitam esse putat, id est, in paralysi plus minusve extensa in factorem negativum systematis nervorum automati, quatenus chylificationi praesit. Quum nervi sympathici maximi functio nos fugiat, quantum chylificationi inserviat, inde natura diabetae non satis explicatur.

*Haase* (49) primum momentum diabetae formandi in hyperoxydatione succi gastrici et enterici inesse dicit, quod maximam partem fiat obstructionibus et indurationibus organorum abdominalium; hos succos hyperoxydatos ita dynamice nocere solere, ut resorptionem absor-

---

(47) l. c. p. 286—288.
(48) l. c. p. 37.
(49) l. c. p. 354. sq.

bentium vasorum in digestionis et cutis organis celeriorem faciant; inde esse magnam illam sitim et famen et urinae prae cibis solidis et fluidis sumptis copiam. Eandem hyperoxysin vehementer vinorum modo recentium et acidorum vel cerevisiae albae secretionem urinae excitare; et hoc tunc potissimum fieri, quando irritabilitas renum aliis causis accedentibus, ut calculis renalibus, quos apud diabeticos non raros esse experientia docuerit, aut vita dissoluta aut usu diureticorum et potuum acrium etiam in majus aucta sit. Hucusque secundum *Haasii* sententiam diabetes morbus dynamicus est; nunc illud est, ubi in insipidum et mellitum discernitur, atque jam temporis decursu, si aegrotus eo inclinat, chemicum momentum diabetae apparet. Inde morbus compositus fit et dynamicus et chemicus. Principium saccharinum per acidum succorum intestinalium praedominans ex alimentis vegetabilibus digestionis tempore, nisi eadem certe simili ratione nascitur, ut extra corpus ex amylo acidorum auxilio, efficitur. Quo fit, ut principium saccharinum, jam secretum in sanguine, sero, saliva, sputo e pulmonibus ejecto pari modo inveniamus, uti secretiones in hepatitide et etiam magis in ictero flavum colorem et amarum saporem accipiunt. Urinae autem est, ut materiam saccharinam solvat, secernat, in se recipiat et egerat. Postremum morbi symptoma, corporis macies, facile explicatur ex continua resorptione sine instauratione sufficiente.

### Causae remotae.

Quum tota haec res tenebris quasi obruta sit, tamen a plerisque hae causae praedisponentes nominantur. Omnes quidem aetates, etiam infantium, praesertim tempore dentitionis diabetae expositas esse dicunt, prae ceteris juventutem et senectutem et omnino sexum virilem multo saepius quam femininum; etiam in omnibus ordinibus, idoneis causis praecedentibus, inventus est hic morbus. Gravissimum momentum praedisponens est in victu, imprimis quum tales cibi magna copia sumuntur, qui multum amyli in se continent, in vita sedentaria et luxuriosa, in obstructione et induratione viscerum abdominalium et dyscrasia scrophulosa. Saepe etiam, *Petro Frank* (50), *Isenflammio* (51), ceteris monentibus, tanquam patrimonium propagatur. Inter causas occasionales ponendae sunt: refrigerium, abusus remediorum diureticorum et acrium, venaesectionum et emmenagogorum, excessus in venere, nutrimentorum vegetabilium saccharum in se oontinentium saepius repetitus usus, cerevisiae albae vinique canariensis haustus crebri, ciborum farinaceorum, qui nondum deferbuerunt, largus usus. Eodem ducunt debilitantes animi affectiones, perturbationes, moeror, curae, mens studiis et cogitationibus nimis dedita, domicilia humida, paludosa, frigida, vehementes corporis

(50) l. c. 42.

(51) Pract. Vers. üb. d. Eingeweide. Erlangen 1784.

motus, concussiones medullae spinalis, renum morbi, ut abscessus, ut calculi, febres intermittentes male curatae, arthritis repressa et rheumatismus, suppressiones chronicorum exanthematum, dysenteria (52), fluor albus suppressus (53), spasmi hysterici, metastases et tumores intestinorum. *Reil* (54) causarum occasionalium tres potissimum classes perhibet: omnia debilitantia, alimenta diuretica, morbos organicos et dynamicos praegressos. *Haase* (55) plura inquit momenta conspirare debere, ut fiat diabetes, dynamica et chemica; hanc ob rem diabeten rarius exoriri tradit.

## PROGNOSIS.

Omnes medici, qui hunc morbum saepius viderunt et curaverunt, diabeten periculosissimum esse morbum uno ore fatentur, qui celeriore vel lentiore decursu maxima ex parte mortem adducat et fere semper omnes vel justissimas spes fallat, atque mitigatus vel specie sanatus reverti soleat. Itaque diabetae prognosis, ubi malum jam inveterascere coeptum est, pessima esse solet; nam diabetae melliti sanati vix ullum certum exemplum est. Sine dubio diabetae insipidi sanatio certior est, qui, ut verisimile videtur, in plerisque casibus, quando de mel-

---

(52) Bonnet medic. septentr. L. III. sect. 27.
(53) Ballonius consil. B. 1. C. 56.
(54) l. c. §. 201.
(55) l. c. §. 258.

lito locuti sunt, in sanationem restitutus est. Complures maximorum medicorum, ut *Cullen* (56), se nunquam diabete mellito laborantem sanasse profitentur. *P. Frank* (57) quidem aliquando duos aegrotos sua opera sanatos esse putavit, quorum tamen alterum morbo recidivo obiisse certum est. Prognosis autem eo infaustior est, quo magis ille, qui laborat, aetate provectus est, quanto magis abusu spirituosorum causisque nervos debilitantibus fractus est, quo copiosius urina secernitur, et quo largius saccharum in urina invenitur. Diabetes pertinax morbos topicos, ut vitia fabricae excitat, quibus medela praegravatur, imo prohibetur. Salus speranda est, si cutis madescit, fames et sitis inexpugnabilis desinit, corporis pondus augetur, urinae copia decrescit, sapor ejus odorque dulcis cedit, color flavidus, odor urinosus et sedimentum latericium apparet, factaque evaporatione nihil sacchari remanet (58).

## THERAPIA.

Pro variis opinionibus de causis diabetae variis medici remediis usi sunt, quo factum est, ut, quotquot habemus medicamina, ea fere omnia commendata sint, ut: resolventia, mucilaginosa, diaphoretica, praecipue pulvis Doweri et camphora, antispasmodica, imprimis opium,

(56) l. c. Tom. IV. p. 91.
(57) l. c. p. 60.
(58) Reil l. c. §. 202.

digitalis purpurea, asa foetida, valeriana, emetica, incitantia, lithontriptica, diuretica, praesertim cantharides, tonica, praecipue rheum, china, alumen, martialia, mercurius, aqua calcaria, antimonialia, magnesia carbonica, kali sulphuratum, hydrosulphur ammoniatum et inunctiones oleosae. At in tanta causarum, quae diabeten inducere creduntur, ambiguitate, in tanta remediorum, quae huic illive profuisse putantur, cohorte, admodum difficile est, curam collocare rationalem.

Nobis sufficiat medico diabeten curanti suadere, ut in uno quoque casu causas remotas diligenter persequatur, totam organismi conditionem, virium statum, humorum qualitatem, phaenomena comitantia accurate exploret et secundum varios hos status agat. Hae igitur indicationes instituantur:

1. Remotio excitantium causarum et, si quae sunt, complicationum. Dentur diaphoretica, antimonialia, balnea calida, si refrigerium antecessit, imperentur in complicationibus arthriticis et rheumaticis antarthritica, antirheumatica. Aegrotus omnino ab alimentis vegetabilibus se abstineat, pro pane vescatur jusculo e carne facto, et stomacho non renitente carnem rancidam, pisces, farcimina, harengos, caseum edat; neque a spiritu frumenti aut vino rubro arcendus est, cerevisia non salubris est, siti vero extinguendae aptissimum est lac dulce, spiritu oryzae et aqua menthae piperita et vitello ovorum intermistis. Deinde balneis sulphuratis lavari, laneas

vestes gerere, et saepe sub divo versari debet.

2. Imminutio nimiae lotii secretionis. Magnam in hac re famam adepta sunt antispasmodica remedia, imprimis opium cum pharmacis alkalinis conjunctum, digitalem, asam foetidam, valerianam, parvas doses ipecacuanhae, cuprum ammoniacale, extractum nicotianae; antimonialia et emetica, quae renum actionem antagonismo minuunt; et mercurium dulcem, qui, alia excitata secretione, ut salivatione urinae supprimere potest. In externum usum vocentur vesicatoria et fonticuli in regione renali et sacrali ponendi, universalia balnea aromatica, inunctiones oleosae.

3. Curatio status hyperoxydationis. Huc pertinent aqua calcis, magnesia carbonica, sal tartari, aquis aromaticis immistum, tinctura kalina, praecipue kali sulphuratum, ammonium hydrogenato-sulphuratum, quod posterius remedium continuo adhibitum, efficacissimum est, quum sensibilitatem auctam minuat et tam dipsacum quam bulimiam et hyperoxysin succorum prae ceteris corrigat.

4. Corroboratio corporis diabete debilitati. Ad hunc scopum laudata sunt ab auctoribus remedia, ut: china, ratanhia, tormentilla, uva ursi, simaruba, lichen islandicus et martialia.

# V I T A.

*Fridericus Guilelmus Auch*, die vicesimo septimo mensis Septembris anni MDCCCX Bilefeldae patre *Friderico Augusto*, opifice scriniario, matre *Friderica* de gente *Poggenpohl*, quos fata adhuc superstites servarunt, natus atque confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis imbutus, Gymnasium Bilefeldense, quod Directore Prof. *Augusto Kroenig* floret, per novem annos et sex menses frequentavi et testimonium maturitatis naetus sum. Anni MDCCCXXXI mense Aprilis Berolinum me contuli atque inter cives Academiae regiae medico-chirurgicae mi-

litaris receptus per quadriennium hosce viros celeberrimos disserentes audivi:

Cel. *Wolff* de logice et psychologia; Ill. *Link* de historia naturali, de botanice, de toxicologia; Cel. *Wiegmann* de zoologia; Ill. *Schultz* de plantis officinalibus; Cel. *Turte* de physice, chemia et pharmacia; Beat. *Rudolphi* de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum et foetus humani, de physiologia; Ill. *Schlemm* de osteologia, syndesmologia, splanchnologia; Beat. *Rudolphi* et Ill. *Schlemm* in arte cadavera rite dissecandi duces erant; Ill. *Eck* de physiologia tam generali quam speciali; Ill. *Fr. Hufeland* de semiotice, de pathologia generali, de therapia generali et speciali; Ill. *Horn* de pathologia speciali, de morbis mentis atque de morbis syphiliticis; Ill. *Osann* de materia medica, de fontibus medicatis, de auxilio ferendo in repentinis vitae periculis; Cel. *Casper* de medicina forensi et de arte formulas medicas con-

cinnandi, cujus ab exercitationibus pharmaceuticis non abfui; Ill. *Juengken* de chirurgia tam generali quam speciali; Ill. *Kluge* de arte obstetricia, de arte rite fascias applicandi, de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis; Ill. *Kluge* et Ill. *Juengken* de akiurgia. Exercitationibus clinicis interfui medicis virorum Ill. *Bartels*, Cel. *Wolff*, chirurgicis Ill. *de Graefe*, apud infantes Cel. *Barez*.

Tentaminibus, tam philosophico quam medico atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

## THESES DEFENDENDAE.

1. *In diabetae cura maxime nutrimenta animalia valent.*
2. *In nullo morbo prognosis certa.*
3. *Crusta inflammatoria, quae dicitur, non certa est inflammationis nota.*
4. *Febres intermittentes per se neque venaesectiones neque purgantia requirunt.*
5. *Quo major medicamentorum copia contra morbum, eo difficilior medela.*